



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


**Claudii Fleury, Presbyteri, Prioris Argenteliae Et Reg.
Christianiss. A Confessionibus Institutiones Juris
Ecclesiastici**

Fleury, Claude

Moguntiae, 1760

XXIX. De privilegiis clericorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67899](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67899)



C A P. XXIX.

DE PRIVILEGIIS CLERICORUM.

I.

PERSONAE, vel *clericatu* vel *professione* religioſa Deo consecratae, ſemper prae ceteris Chriſtianiſ plura praecipua habuerunt, praefertim iis temporibus, quibus cum horum hominum *ſtatu* excellens virtus individuo vinculo ſociabatur. Gavifi ſunt praecipuis honoribus, reſtitutionibus, exemptionibus, aliisque iuribus utilibus. De his poſterioribus, quatenus vel in certis reſtitutionibus, vel in retributionibus, vel in oblationibus incertis conſiſtunt, potiffimum agemus *Parte II.*

Privilegia clericorum poſita

II. TANTO majori honore ſunt habitum, quanto magis honores fugiebant, demiffionis animi & ſummæ caritatis ſectatores. Primis ſaeculis Chriſtiani ad eorum genua provoluti, pedes exoſculati, benedictionem flagitantes, *patres, dominos, venerabiles, amabiles Deo, ſanctos* appellabant: quæ vocabula deinceps, frigefcente affectu, dicis cauſſa uſurpata, & regulares etiamnum *domini, patres, reverentia,* vocantur, titulis Episcoporum olim & presbyterorum propriis ¹.

in honore praecipuo,

1) *Vid. tr. de morib. Chriſtianor. c. 25. 29.*

III. ECCLESIASTICI vulgo in *Ecclesiis*, omnibusque ſacris pompis, primum locum occupant, laicosque omnes antecedunt. In

conventibus politicis *corpus clericorum* præit corpora reliqua omnia, quod in conventibus regni *generalibus* & diætis *provincialibus* cernitur. Corpora clericorum, veluti capitula & collegia regularium cum inter se, tum ad corpora sæcularium relata, veterem consuetudinem sequuntur, quod etiam de singulis Ecclesiasticis observandum, nisi vel ob *beneficium*, quod habent, vel ob *officium* altius ascendere datum ¹. Lites de hac re in pompis solennibus aliisque publicis cærimoniis oborientes componit Episcopus ². In Francia quidem Episcopus vitandi scandali causa interloquitur, sed quia hæ controversiæ habentur pro causis *possessoriiis*, iudex laicus decedit. Injuriam his illatam habentur pro atrocioribus, & si reales sunt, excommunicationem operantur, & eam quidem *reservatam* ³.

1) Vid. *Memoir. du Clergé part. 1. tit. 2. c. 5.*

2) *Concil. Trid. Sess. 25. de regul. c. 13.*

3) *C. 16. q. 4. c. 29.*

in immunitatibus

IV. EXEMPTIONES sunt duplicis generis. Aliæ personas potissimum afficiunt, tenduntque ad tranquillitatem Ecclesiasticorum, ut sacris vacare possint: aliæ bona respiciunt. Quum enim ex publico aluntur & laborum præmia capiunt; iustum est, ut hæc conferrentur, ne altera manu eripiatur, quod altera datum est.

personabus,

V. IN personalibus princeps est exemptio a *jurisdictione*. Nam vulgo nulla persona ecclesiastica coram *iudice seculari* conveniri po-

test: qua de re *Part. III.* porro exemptio a *municipalibus*, a tutelis, curatellis, nisi quas sponte suscipiunt¹. Inde a Cypriani temporibus statutum est, si quis clericum in testamento tutorem nominaverit, pro ejus anima sacrificium fieri non debere². Debitorum causa non in *vincula* conjici, nec in res mobiles eorum, quæ ad cultum divinum destinata & ipsis necessaria sunt, *executiones* fieri possunt³. Immunes sunt a *militia*, ad quam olim ob feuda, quæ possident, tenebantur, nisi in *sequela*: nec alios milites submittere, aut pretio id onus redimere coguntur. Immunes sunt ab *excubiis*, *vigiliis*, *militum hospitacionibus*, pœna capitis sancita in eos, qui in domus presbyterorum, aut in domus certis beneficiis affixas, aut a clericis habitatas, irrumpunt hospitandi causa. Prohibitum etiam consulis & scabinis, ne militi hujus rei causa tesseras hospitales scribant; ne quid pro redimendo hospitii onere, pro utensilibus, militumque alimentis a clericis exigant; exacta restituant⁴. Eadem ratione ab onere alendi militem, muniendi civitates, conferendi ad subsidia cujuscumque generis exempti sunt⁵.

1) l. 52. C. de episc. & cler. C. 16 q. 1. c. 40.

2) Cyprian. ep. 1. al. 66. dist. 88. 3) Stat. Bles. art. 57.

4) C. 4. X. de immun. Eccles. 5) C. 29. C. 7. eod.

VI. IN terris, quæ onerantur in capi-
 ta, immunes sunt clerici, nec onerari possunt, centualibus,
 si vel maxime beneficia vel ipsi percipiant, vel
 matrimonia habeant, decimasque teneant.
 Quæ privilegia novissime parum pensi habita.

Plerisque in locis subiecti sunt *tributo negotiatorio*, quum provinciarum præfecti decimas conductas pro officio æstiment, & incolæ oneris partem in eos devolvant. *Beneficiati* unius tantum beneficii intuitu immunes sunt.

realibus.

VII. IN terris, quæ onerantur ratione fundorum, fundi ecclesiarum æque ac nobilium immunes sunt, & qui alienati sunt, si ad ecclesiam redeunt, illico e *catastro* delentur. Sed hæc immunitas restricta est ad veteres fundos, quos Ecclesiæ possederunt, antequam *catastrum* invaluit. In terris, quæ oneri *salinario* subiectæ sunt, Ecclesiasticis parcitur, nec domus eorum, prohibiti salis ergo, perquiruntur. Nec vini, quod ipsi ex fundis sive patrimonialibus sive beneficiariis hauriunt, *censum*; nec si id per aversionem vendunt, *vicepsimam*; nec si sigillatim, *octavam* vel *quartam* solvunt. Et ista quidem summa est privilegiorum, quibus Ecclesiastici in Francia gaudent, potius, minus, pro temporum & locorum diversitate: quod usu addiscendum. Communitates autem religiosorum & religiosarum corporibus Ecclesiasticis annumerantur.

